



foffet, und andern *Carmina* Vol. II.

A. W. 75. Quart.

4.

*Ca*

8. 9.

9. 10.

10. 11.

*Ca*

11.

12.

14.

15.

16. 17.

*Ca*

18.

19.

20.

21. 22.

23.



46.  
83.

COMPARATIO  
**M U S C Æ**

cum

**P H O E N I C E**

*A F F A T I M O S T E N T A*  
argumentis item & auctoribus  
firmata.

à

**M. MICHAELE THEOPHILO**  
Lehmannen / p. t. Tertiæ Classis in Gymnasio  
Mœno - Francofurtano  
Præceptore.



**FRANCOFURTI,**  
*Typis CASPARI RÖTELII 1637.*







VIRIS

*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis,  
Prudentiâ, Eruditione & virtute longè  
Eminentissimis,*

Dn. HECTORI WILHELMO à Günferode.  
Dn. JOHANNI CHRISTOPHORO Treudel/ J.U.D.  
Dn. JOANNI MAXIMILIANO zum Jungen/ p. c.  
Consuli  
Dn. CHRISTOPHORO Bender / J. U. L.

Inclytæ Imperialis ac liberæ Reipubl. Francofurtensis  
ad Mœnum Scabinis & Senatoribus laudatissimis,  
gravissimis, nec non Gymnasij ibidem  
Inspectoriibus vigilantissimis.

Dnn. & Mæcenatibus suis summâ cum observantiâ summisse  
colendis, & plurimum etatem honorandis  
ev Agreyv.

**H**uit moris antiqui, bonarum artium  
studia mandare literis, atq; in libros re-  
lata offerre viris principibus. Hinc Ari-  
stides Adrianæus Sophista: τὸς μὴν εἰσιν, in-  
quit, τοῖς θεοῖς προσκαθεγγόντος τὸς δὲ αὐδοὺς τὸς ἐλαχίμους τῷ τῶν  
βιταών αὐτοῖς τημένων, templa Diis consecrare conve-  
nit: A 2

nit: viros verò eximios decet librorum dedicatione honorare. Sic Cicero libros Acad. quæstionum M. Varroni: Varro ei vicissim libros de L.L. dedicavit. Virgilius Georgica Mecœnati; libros Æneidos Augusto Cæsari; Jul. Pollux Onomaticum suum Commodo Cæsari; Plinius Naturalem historiam Vespasiano; Oppianus Alexandro severo halieutica; Vegetius libros de re militari Valeriano obtulit; alij alijs idonei visi sunt, in quorum patrocinii gremium suas lucubrations & vigilias deponerent. Iste mos adhuc quidem viget: sed effectu planè dispari. Veteres ejusmodi librorum dedicationes, tāquam preciosissimum aliquod ~~τεμένος~~ promptā dignatione suscepérūt, & laborem impensum luculentis præmiis remunerati sunt. Hodiè (quod vel cæco manifestius quām manifestum est) nonnulli expallescunt, tremunt atque æstuant, cùm librum suo nomini & honori consecratum vident. Hæc cum ita sint, istis de Patrocli familiâ numibasiis, cumunisectoribus ac ungulifugis, qui ut ille ait apud Gellium, apludam edunt & flores libunt, insuper habitis: Vobis, Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi nec non Consultissimi Domini Scholarchæ, Patroni ac Promotores Unici, Optimi, hancce meam Muscæ cum Phœnlice comparati-

uncu-

lib. II. c. 7.



unculam, quam per nuper rimas ferias nundinales paululum à concatenatis Scholæ laboribus adeptus otii elaboravi, publicè inscribere, inscriptam humilimè offerre ac dedicare junctim volui, non modò quoniam animi Vestri plusquam Gordio mutuæ benevolentiae & amoris ~~avunculari~~  
nodo inter se invicem devincti sunt: sed & Ve-  
stræ erga me plusquam paternæ ~~soyus~~ & faventiae  
stricturas per indicia minimè obscura, in primis  
verò benignam ad officium, cui jam præsum,  
Scholasticum promotionem, sæpe cum meis  
ipse sum expertus, ut vel hinc mihi publicum ali-  
quod gratitudinis ac observantiae meæ monu-  
mentum, qualecunq; illud tandem sit, statuendi  
imponatur necessitas.

Accipite ergò pransâ fronte hoc quicquid est  
chartacei muneris, & me, quod facitis, vestro fa-  
vore dignari pergitte. Valete, vivite, & Reipubli-  
cæ bono rem benè gerite, Musarum Nutritores  
constantissimi! Dab. Francofurti ad Mœnum  
3. Junij, Anno 1637.

N. A. & C. V.

*Magnif.*

*Studioſiffimus*

M. Michael Theophilus

*Lechman.*

A 3

Pytha-





*Exordium  
obligatum à  
mirabili sym-  
phoniam Mun-  
di.*

*Synesius epist.  
44.*

*De sacrif. &  
mag.*

**P**YTHAGORAS summus ille omnium Grajæ gentis Sapientum, primus Philosophiæ nuncupator & conditor, quique post eum rerum naturalium causas subtilius scitati arcans cœlestibus nobiles curas intulerunt, mundum hunc non tacite ferri, sed & cœli orbibus Sirenas quasdam ineffabiles concentus efficientes insidere, & totam adeò universitatem diversis quasi & dissonis vocibus constante modulatam quandam ac cōsonam harmoniam reddere animadverterunt. Sapienter profecto & ut cœtera multa non nisi ducente Minervâ tñniâ. Etenim sive Deum illum Opt. Max. compagis hujus architectum spe-

*Eties, recte dictum apparebit illud Episcopi Ptolemaidis:  
Ἐδέις πάντος ἡγεμόνας τὸν αὐθεντικὸν. Sive Mundum illum superiorē dierum noctiumq; curriculis agentem stellārum choros intermino lapsū, heic quoq;*

*— propriis inter se legibus astra  
conveniunt, & certa gerunt commercia rerum,  
inq; vicem præstant viſus atq; auribus hærent;*

*Sive denique Terræ vel dorsum hoc, quod homines frequentamus pedibus, vel ipsa interiora viscera, quæ oculis animi, consideres: Hic Solem quoque & Lunam & æternos illos ignes, quæ cœlum perpetuâ lucis amœnitate coronant, & ut Proclus clarissimus ille Academizæ antiſtes ait, in uniuersum suprema in infimis, infima in supremis, in celo terrestria modo cœlesti, in terrâ cœlestia modo terrestri deprehendes. In terrâ spectata est mirabilis ista harmonia clariss, nam & inter animalia, quorum varietate celebratur, & inter sylvarum genera, quarū opacitate vestitur, & ut omnia*

omnia complectar, inter universa quæ vehit aut tegit, aliquam quasi Musicam Naturatem peravit.

Abuti Vestrâ viderer audientiâ, si rem adeò in promptu sitam ambitiosè conquisitis exemplis declarare satagerem. Unum dabo, quod quæso vos antè examinetis, quæm temerè ad judicandum properretis. *Musca*, quam vulgò homines ex terrâ, ut ait Empedocles, nati, *αγριός θεος οὐρανού*, mulo inscitiones, velut vermiculum purgamentum, sordiumque coagulum detestantur, ea, inquam, *Musca Reginæ avium Phœnici* ita per omnia similis est, ut non possit, quod vulgò dicitur, magis esse aqua aquæ, lac lacti.

Etenim clarissimis argumentis persuasum habeo, *Natura* *Ka'yonos*  
turam illam omniparentem, cùm eam avem deformâasset. *et quidem*  
& delineâasset, quæ

*ipsa sibi proles, suus est pater & suus hæres;*

*nutrix ipsa sui semper alumna sibi:*

*Muscam* ejus quasi expressam imaginem in oculis habuisse. Et ut inde exordiar, quod ut in Phœnico miriones isti naturæ sacræ non initiati maximo effrerunt opere, communis utrique ortus, eadem nativitas est. Ex vermiculo nascitur *Musca*, neque eam generis sui pudet. Testatissimum id est experientiâ, & exploratum habuit Philosopherum aquila *Aristoteles*, cui si quasi secundarium testimoniū addidero *Lucianum*, honoris id gratiâ facio. Prodeat *in encom.*  
nunc aliquis ex Poëtarum viridariis, prodeat aliquis ex *Musca Tomi*  
*Historicorum spaciis & doceat nos, quâ lege generetur Phœnix!* Enim verò cùm in rogo suo odoratas orientis opes concessit, & quidquid suaviter fragrans vel lachrymant arbores vel germinant, Solisque flammis accensus conflagravit, tum ex reliquiis illis

*animal primum sine membris fertur oriri,*

*Sed feriur vermis lacteus esse color.*

*Crevit.*



Crevit in immensum subito cum tempore certo,  
sece ovi teretis colligit in speciem.  
Inde reformatur, qualis fuit ante figura,  
& Phœnix ruptis pullulat exuvias.

*lib. i. Annal.* Vultis & Historicum? Glycas prodidit de Phœnice,  
Ἐν ταχυός πελῷ αὐτοῖς ἔργηται τέλος τὸν Αἴγυπτον, οὐδὲ ἀντικεντὴ  
ηλίας ἵστηται: εἰς τεφρῆται, οὐδὲ λότος χρόνος αὐτῷ σκώληκες γρυνάται, οὐδὲ  
ἀνθεῖς ἀνθεῖς πληνδεὶς μετεπέλεται τὸν φύσινα.

*τετράτετρα.* Antecellere ajunt Phœnicem plerisque omnibus volu-  
crium generibus eximiā quādam pulchritudine: Etenim

*Claudianus.*

arcandum radiant oculi jubar, igneus ora  
cingit honos, rutilo cognatum vertice sidus  
attollit cristatus apex, tenebrasq; serenā  
luce secat, Tyrio pinguntur crura veneno,  
antevolant Zephyros penna, quas cœrulus ambit  
flore color sparsoq; super ditescit in auro.

Hæc ego non arguo, non nego, non refello: sit pulcher,  
sit formosus; dum id mihi liberaliter vicissim condone-  
tis, Fatorum arbitrio partes avibus datas,

*Phœdrus fab.*

57.

vires Aquile, Lusciniae melos,

augurium corvo, lava cornici omina,

Pavoni formam, cui pluma vestis & quidem de cataclitis:  
imò omni conchylio depressior, quā colla florent; & omni pa-  
tagio inaugurator, quā terga fulgent; & omni syrmate solutior,  
quā caudæ jacent; multicolor & discolor & versicolor,  
nunquam ipsa, semper alia, et si semper ipsa, quando alia, toties  
denig, mutanda, quoties movenda, ut ait, Tertullianus. Quod  
si mea Musca æquiparat

aurea Pavonum ridenti imbuta lepore  
secla

eritne aliquis adeò plumbeus, qui nō intelligat, palmam  
illam eripere Phœnici? Atqui illa, quod intentis oculis  
spectanti obscurum esse nequit, cùm pelluentes suas  
pennu-

*de pallio.*



9

pennulas adverso Sole explicuit, qvod de Pavone dixit  
ille, plumato amicta est aureo Babylonico & gemmeis alis flo-  
ret. Καὶ μὲν δινήσκει κατὰ τὸν τρίων, ἐπὶ τοῖς ἀτένες βλέπη εἰς τὸν *Lucianus loc.*  
*πόλεαν* ἐπιπλέοντας τὸν ἄλιον ἐπιπλέοντα.

cit.

At enim admirandum quid canit *Phœnix*, & quale

neq; olor moriens imitari posse putatur,  
nec Cyllenæa filia canora lyra.

τε φάνξ.  
Lactant. l.cit.

Hic ego scire velim, quo authore id affirmetur? Etenim *Phœnix* vix quingentesimo quoque anno visitur, aut certe post longum seculorum ambitum in *Ægyptum* ve- Tacitus lib. 6.  
nit, scilicet επί τὸν Αἴγυπτον οὐδεὶς πατέλημεν μέλι, Annal pag.  
quā de causā *Phœnicem* pingunt *Ægyptii*, cūm significa- Horus Apollo  
re volunt τὸν Αἴγυπτον οὐδὲν θηληματεῖ reliquam omnem lib. i. hierogl.  
xatatem in Arabum desertis agit, quæ nemo ne τοῦ οὐρανοῦ cap. 35.  
adspexit. Repugnabo tamen nullus vel Poëticæ auctoritati, credam canere dulce quid *Phœnicem*. Quid *Musca*?  
*Musica profana ad myrtum* (quod ajunt) caret? Hoc manibus pedibusque negabit *Lucianus*, qui *Muscas* tanto antepollere ait cantilenæ dulcedine, δύον σύλληψις οὐχι πυμβαλλειν αὐλοι μελιτεῖσθαι. Unde *Homerus* eas à divinis appellavit, ille, inquam, *Homerus*, è cuius πηγαῖσι νοῇ πεισσοῦσι ore

cen fonte perenni

Vatum Pieris ora rigantur aquis.

Et inde *Corinna Poëtria* aliaq; *Musca* dictæ.

Nondum itaque reperi, cur Poëtae alitem hunc etiam fer-  
mè in *Deorum Lexiarchicum* ausi sint referre, nisi quod isti  
pro condimento mendacia habent.

Par volucer superis, stellas qui vividus aquat?  
γέλως ταῦτα η λίροι νοῇ τῆς ἐχάρις ἀξία ιμωεῖσι. Nam quid  
obsecro habetis dicere, cur astricis choris velitis inserere  
vestrum *Phœnicem*? An quia

B

non



*Claudianus.*

non epulis saturare famem, nec fontibus ullis  
assuetus prohibere fitim, sed purior illum  
Solis fervor alit, ventosaq; pabula libat.  
Tethyos, innocui carpens alimenta vaporis?

Ethoc (si Stoicis fides est habenda) cum cœlo communi-  
ne habet, cuius facularum divinas, ut ait ille, & immortales  
vivacitates Oceanus pascit, qui velut industrius Promus con-  
dus universi, ex profundo suo penuario easdem aquas ali-  
menta cœlo sufficit & terris. At verò, quod in propatulo  
est, nec hīc herbam porrigit Musca, nec ullā aliā in re, que  
laudem mereatur, prius locusta, ut habet Ennianum ver-  
bum, Incam bovem pariet. Quid enim? ille ne

*Lactanius.*

ambrosios libat cœlesti nectare rores,

stellifero teneri qui cecidere Polo?

At Musca Regum σύντεοφοι ηρά ὄμοδιαιτοι, ηρά ὄμολογοι, iis  
se explent deliciis, quas si olim Homericus Jupiter fame-  
licus & nidori sacrificiorum inhians vel extremis tan-  
tum olfecisset naribus, aut primotibus digitulis delibas-  
set, næ ille non in cygnum, aut cuculum, aut formicam;  
aut aliud tale animal, sed in Muscam se transformasset. Ast  
ille siderum alimonias prægustat; & Musca verè apud  
Phædrum:

*Fab. 80.*

Vbi immolatur, exta pragusto Deūm,  
moror inter aras, templā perlustro omnia.

τῆς τε σώματος  
τοῦ Διόσπο-  
ντος.

Quod si igitur utrique non est admodum dissimilis vi-  
etus, consequens est eandem etiam esse corporis habitudi-  
nem. Sanguinem negant habere Phænicem, sed ixōeg, sa-  
niem

— αἵδε μέρη πέτε μαργαρος διεῖσθαι

*I. de Nat.  
Deor.  
Clem. Alex.  
ερεπιλ.*

Dii enim Homericū convulnērati non sanguinem sed ut  
Vellejus Epicureus ait apud Ciceronem, quasi sanguine-  
m sudant. Est autem ixōeg σηκυστιματος. Tale quid etiam  
Phænix



Phœnix fertur habere. οὐ μελκ τελθτὴν ὁ φοῖνιξ, πήσει ἐαυ- *Aeneas Apollo*  
τὸν θητὸν γῆν, καὶ ὅπην εἰς τὸ μῆγματον λαμβάνει, καὶ εἰς ιχῶρον.  
Σκαλέψεοντος αὖτος θρυατού. Nec mirum: nam & Deorum  
victus vitam sustentat.

Oὐ γὰρ σίτον ἐδεστὸν πίνεσσιν αἰθουσαῖνον,  
τέμενος ἀνάμενες εἰσι, καὶ αἰθάνατοι καλέονται.

*lib. 2. c. 57.*

*Homer. Iliad.*  
*l. p. 179.*

Nam nec edunt panem, nec Bacchica munera gustant,  
propterea exsangues vivunt semperque perennant.

Quid ad hæc Musca? Veretur etiam atque etiam, ne ad  
veritatis tribunal Poëta postulentur repetundarum. At  
si, quemadmodum & cæci, cum sèpè jaciunt, aliquando  
venerem jaciunt, sic illis feliciter semel aliquando ceci-  
derunt taxilli, tūm nihil est, quod dicamus amplius. Dea  
est Musca! Nec deliri illi Moabitæ, qui Muscæ simula-  
crum de vita & dubiis eventibus inciscabantur. In Leu- *Theodorus. in*  
cade Actii Apollinis templum est, in quo statu & solen-  
ni festo, ut Heraclides scribit, εὐ νοεσσιν ιερῷ τὸν Ακρω-  
νανταν, muscis taurus immolabitur, ut liqueat Muscam non  
minus Apollini, quam Phœnicem sacram fuisse. In cælo est Mu- *De respiratione.*  
sca, si Poëta nos non fallunt. Nam, ut docet Philotopo- *cap. 9.*  
rum Princeps ἀναιματικὰ τὰ ἐντομα.

Liberrimus ales Phœnix est, & sui planè juris, quem *ξ.*  
ipsa reverentia formidabilcm facit suis tribulibus. *μῆτρας ἐλαυθερίας*  
*αὐτοῦ.*

Non ferus accipiter, non armiger; se Tonantis  
bella movent, commune facit reverentia fædus.

*Claudianus.*

At Musca cui levius tunc quem tulspicit? Ego, infit,

In capite Regis sedeo, cum visum est mihi,  
& matronarum casta delicio escula,  
laboro nihil atque optimis rebus fruor.

Rem gestam narr. Iannotrius Mancetus Florentinorum Le- *Eneas Sylv.*  
gatus ad Regem Alfonsum prolixam nunc minus elegan- *in qua ipsi ad*  
tem orationem dum pronunciaret, intentionem patien- *Panormis.*

B 2 tiām-



tiamque Regis validissimè miratus est, quod nec oculos  
à sediutissimè dicente nimirum deflexisset, nec manus  
movisset, sed & illud in primis memoriam dignum judica-  
vit, quod, cum à principio statim orationis naso Regis  
Musca supersedisset, non prius, quam peroratum esset,  
Rex illam abegisset. Erat profecto memorabile facinus &  
dignum amplissimè caveā spectaculum, Musca Regis naso tanti-  
sper inequitans, dum longissima oratio finiretur. Constantium  
Rector Christi.  
cap. 15. pag. 52.

à Nisibes oppugnatione non tela, non in propugnaculis ci-  
ues pro patria animam, ut ait Ennius, prognaviter pugnando  
mittentes de corpore, sed Muscae precibus Effremi Syri ex-  
citatae repulerunt, quippe Elephantorum promiscidas,  
cùm sint cavæ, equorum verò aliorumque jumentorum  
aures simul & nares implérunt.

*Quid memorem S. Narcissi Muscas vulgaras Gallicano*

Vide Ribaden- Proverbio? quæ captâ Garundâ à Rege Galliarum Phi-  
ciram de lippo & dispoliato D. Narcissi templo, intra paucos dies  
Principe hominum 40. & equorum 24000. dirâ pestilentia ad  
Christi lib. I. orcum miserunt. Fertur Vates Mantuanus, interrogasse  
cap. 27. Marcellum, cùm depopulationi avium vehementius  
Saresberiensis operam daret, an avem mallet instrui in capturam a-  
lib. I. polyerat. vium, an Muscam conformari in exterminationem Musca-  
cap. 4. rum? Cùm verò quæstionem ad avunculum retulisset  
Augustum, consilio ejus prælegit, ut fieret Musca, quæ  
ab Neapoli muscas abigeret & civitatem à peste insa-  
nabili liberaret. Unde Palladis cognomen Cynomysia;  
Cyrill. Alex. & Cynuleus apud Athenæum κυνόμυια appellatur. Ipse  
5. adv. Julian. Hercules apud Plutarchum  
p. 206.

lib. 3. cap. 22. οὐδὲ ὄξεω μυῖα συγέρων ἐμπάζετο μύθων,  
Decap. utilit. οὐδὲ πληρικῶς οὐδὲ πληρεστὶ μύθων,  
ex host. non pluris quam Musca facit dictoria vulgi.

Menelao itaque Pallas Homericus non Leonis sed

— μύινος θάλασσας εὐρὶ σίδεων εἴηνεν,

Musca



*Musæ audaciam in didit, quæ quanquam de virili corio non semel repellatur, assilit tamen & repetit mortum.* Homer. Iliad. p. 639.

Quæ si veriora sunt, quam

*Pythica quæ tripode ex Phœbi laurūj profatur,*

*Rex est Musca, etenim.*

*Rex est, qui metuit nihil:*

hoc regnum sibi Musca dat.

Rex ergo Musca atque non absimilis illis *nigris Regum* se-  
quacibus curis, quæ:

*nec meruant sonitus armorum; nec fera tela,*

audacterq; inter Reges, rerumq; potenteis.

versantur, neque splendorem reverentur ab auro.

Perinde est, cuius nafs insidieat, ubique præsens periculum ē *X̄v̄d̄w̄* & *z̄w̄d̄z̄*, præsens & innumerato periculi contemptus, quod qui potest facere, esse Musca potest.

*Nec speres aliquid, nec extimescas,*

*exarmaveris impotentis iram.*

Boeth. i. Met.

4.

Inter Phœnicis decantatas omnium præconiis virtutes hæc  
prima est, quod noctū non lacubret, nec officia lucis no-  
tisque pervertat, ut quidam in nostro orbe antipodes,  
quibus meridies antelucanum tempus est, & vesperugo-  
auroræ prodromus. *Phœnix* enim

*expectat radios & jubar exoriens;*

atque ubi Sol pepulit fulgentis limina portæ,

& primi emicuit luminis aura leviss.

*incipit ille sacri modulamina fundere cantus,,*

*& mirâ lucem voce ciere novam.*

Nec *Musca* post cœnam lucubrat, sed patitur alimenta per somnum quietemque æqualiter digeri, nec perturbata ac dissipata in caput agit: quod *Porcium Latronem* fecisse negat *Seneca Pater*, quem & propterea oculorum

<sup>2</sup> Lib. Controv.  
pref.

*Lucian. l. cit.* extiem confusisse & colorem mutasse scribit, τῷ φωνῇ  
καὶ εἰ πάλιγνα καὶ τέττα πολιτευεται, νυκτὸς δὲ εἰρήνην ἔχει.

*Plant. in Pers.* — manē quod tu occēperis  
negocium agere. id totum procedit diem.

*Hes. d 2. oper. v. 196.* Ήσίς γὰρ τὸ ἔργον τείτην δύομείστην αἴσαν  
Ἡσίς τι τεφέρει μὴν ὁδόν, τεφέρει δὲ ηγέργυν.

Proprium hoc mentis bona conscientiā fretæ, non ex-pallescere in mero meridie, nec in publico versari.

Quemadmodum Agesilaus stolidè & indecorè se fatigurum credebat, si, qui Persarum Regibus mos fuit, domise solitudine tanquam aliquod vestale secretum vallaret, νουίζων αὐτοχειρίζει μὴν τὸ αὐτονόμημα πέπειν, τῷ δὲ εἰς καλλιθέᾳ βίῳ τὸ φῶς μάκλον νέσμον παρέχειν.

*Xenophon. in eius Encom. p. 851. Tom. 3.* Altera virtus est Pietas ergo mortuos. Phœnix enim Partis ex vias

*Vide Tacitum loc. cit.* unguine balsameo, myrrhāg. & thure soluto condit & informam conglobat ore pīo.

*Musca* verò non parentibust nūm, sed & culicibus & cicadis hæc ultima pietatis officia p̄stat. In Insulâ enim Hispaniola pedibus effossi terra in subterraneos illorum dos cicadas atque culices, & muscellas & alia animalcula congerit, non in victum certe, quod aliquis somniat, quamquam & id prudentiæ nunquam in formicæ satiis deprenditæ, prospicere aliquid futuræ hiemi, nec in diem vivere: sed quasi ab ipsa Natura humanitatis admoneretur; Hiemem enim perpetem tranquillo quodam somno consumat, in t'ar Endymionis eis, quem olim effl' etim deperiens ab emula Luna in hanc formam, quam hodie obtinet, mutata est. Et ut devorent Muscae parentes taleque.

funeris officium vita pro munere reddant,  
etiam id apud alquintas gentes sanctum est, corpora parentum laniata & cæsi pecorum viscerebus immixta epu-



epulando consumere, ut apud *Essedones* & *Massagetas*.  
Denique formicas quoque observatum est redemisse  
mortuorum suorum cadavera ad sepulturam, prolatis ex  
horreis suis & quasi recip. suæ prytaneo aliquot farris aut  
tritici granis.

*Heleno* & *Cassandra* ferunt, cùm in Apollinis æde forte  
essent, aures ab sacrī serpentibus ita esse expurgatas, ut <sup>της γαλει ανθ-</sup>  
<sup>λοχιαν μεθη-</sup>  
animalium quoque voces intelligerent, quibus Deorum <sup>περι.</sup>  
voluntates hominibus piis & sapientia pollutibus pate- <sup>Euripid. Scho-</sup>  
faciunt. Utinam verò plerique haberemus adeò purga- <sup>li. sc. in Hecu-</sup>  
tas aures, ut in animum animalium monita possint de- <sup>p.m. 9.</sup>  
cendere?

*Phœnix* duo docet, quæ omnis miratur universitas, pau-  
ci, quos & quas amavit Jupiter, rectè intelligunt & cre-  
dunt. Primum est fore aliquando vertentibus seculis, ut cæle-  
stes ignes omnia renovaturi extinguant, & sese Natura resemi-  
net, existatq; ex pristinis mundi reliquis novus, idem & alter:  
Quemadmodum *Phoenix*

*Natali* cum fine perit, nidoq; perusto

Succedens sibimet quæ sita morte resurgit.

Hoc etiam *Musca* docet: Δοθανῶν γδ μνᾶ πέφεγις θητυθείσης τονικū Chri-  
σιαν, γδ παλιγγενεια ἡσ. αὐτῆ, γδ ΒΙΘ ἀλ. Οἰν Κωνσταντίνης γίγης τονικū Chri-  
σιαν. in  
νετη. Et si Paulino credimus. Theophr.  
cuncta resurgendi faciem meditantur, in omni Lucian. loc.  
corpore & in terris germina & astra Polo.  
cit.

Alterum est; *Virginem* olim peperisse: Ut *Phoenix* Phœ-  
nicem, avis.

*felix* quæ *Veneris* fædera nulla colit.

Et tamen quid mirum videtur, si virgo conceperit, cùm  
Orientis avem, quam *Phœnicem* vocant, in tantum sine  
Conjuge nasci constet vel renasci, ut semper & una sit,  
& semper sibi ipsa nascendo vel renascendo succedat.  
Sed hoc non est in commune (ut Tertulliani verbo utar) nam  
& Apes.



**32** Apes nescire conjugia, nec foetus sexibus edere omnibus palam est.

Hic ne *αριγλον* sit Musca, aliud dabit non minus stupendum. Quid illud? Sanctorum virorum doctrina est, quod impiorum corpora, absque sui consumptione sempiternis ignibus ardeant, & ea ipsa corpora combustio ignium non consumat, quia gnost. cap. 40. & sempiterno igne ardebunt & mori omnino non poterunt. Id que inde manifestum esse docent. Montes quoque nimio torrentur incendio, & tamen inter flamas suas stabiles perseverant. Salamandra incendio reficitur & ignis calore reparatur: de qua cum loqueretur Cassiodorus, adjecit *ss. oīas*, vulgarem sermonem esse docens.

**De anim. c. 15.** Quæ si eidem creditur, subtile ac parvum animal est, *& in variis.* lumbricis associum, flavo colore vestitum, vitam cui præstat Soli, qui mortalia cuncta consumit. Animal est, inquit Plinius, lacerti figura, stellatum, nunquam nisi magnis imbribus proveniens, & æstate deficiens: cuius tantus rigore est, ut ignem nullâ sui læsione, tactu extinguat, non aliter quam glacies. Sed Muscas, cur præteriit *τιωτη*

**Lib. 5. de histo anim. c. 19.** *βαρύπεπτος*, quas in Cypriis fornacibus nasci & per ignem impunè ferri tradidit Aristoteles; in fornacibus, inquam, flagrantibus animalia pennis apta volitare totumq; ævum suum in igni diversari.

**Apul. de Deo socrat. p. 69.** Denique ut finem aliquando habeat mea comparatio, ne ex Muscâ Camelum putetis me facturum esse, quemadmodum *Phœnix* sponte sua vita rotinacula abrumpit, mortique præsenti animo occurtere non veretur, quippe *παλιγθέσις* sux certus: avis semper unica, non enim coitū concipitur partuē generatur, sed ubi quingenitorum annorum ævo perpetuo duravit, super exageratam variis odoribus struem sibi ipsa incubat immoriturque. Deinde putrescentium membrorum tabe-

*6.  
τε διατάντι.*



17

concrescens ipsa se concipit, atque ex se rursus nascitur:  
Ita Musca quoque mortem minus, quam nos, quod ajanct,  
præervolantes muscas, formidat. Renascitur etiam illa, &  
plane, ut Phœnix è cinere. Phœnici enim, ut Clandianus  
canit

— præbetur origo

per cinerem.

Non enim ~~Ie~~quæ pædæ, aureâ Mercurii virgulâ, quâ animas  
ducere ac reducere solet, non AEsculapii opus ope est,  
qui, ut eum Avienoloquatur,

algentes animas Erete procul intimo ab usq;  
exciret atq; anima rursum reperfacta calore  
viscerum mundanas revocet medicator in oras:

puerulus aliquis injectâ crètâ aut cinere (adeò in vulgus  
notus est hujus experimenti modus) vitam reddit. Unde <sup>In Apostola-</sup>  
Proverbiū apud Senecam: *Nemuscam excitare potest.* <sup>synchosi.</sup>

Quid etiam est dignum præconio in Phœnicio, quod  
itidem in Muscâ non demonstraverim? Ex Phœnicis  
medullis nascitur vermiculus, ex vermiculo Phœnix: ex Muscâ <sup>ινιχον</sup> ex alvo <sup>αναφαλάν</sup> edatur vermiculus, ex quo Musca. Phœnix purpu-<sup>ρων</sup>reus est, & quasi ex Leda ovo germen pulcherrimum: Mus-  
ca gemmeas pennas & Pavoninas explicat. Canit Phœnix:  
& Musca canit. Ite Deorum delicas epulas: hac etiam Re-  
gum. Ite ex sanguine est, quemadmodum Dii apud Homerum:  
& hec, quemadmodum infecta omnia. Nemini servit Phœnix:  
Musca nemini. Orientem Solem salutat ille: hac tunc ad ma-  
xima studia exsurgit. Paterno funeri justa reddit ille: hac  
eum cognatis. Ineffabilium misteriorum magister est Phœ-  
nix: & magistra Musca. Denique eodem modo & ex uno  
cinere renescitur ut Phœnix ita Musca. Quæ si omnia af-  
fatum ostendi, si argumentis & auctoribus firmavi, si  
res ipsa vero veriora esse clamat, nihil superest, nisi ut Mu-  
sca deinceps parvus Phœnix, & Phœnix magna Musca habeatur.

C

Sequunt-



*Sequuntur duo Carmina.*

Perennivivæ obſervantia contestandæ

IPSΩ DIE JOHANNIS BAPTISTÆ  
ANNO 1637.

*Conſecrata*

Honoribus Natalitiis

*Virorum Magnif. Nob. Ampl. Consult. Prudentiâ, Eruditione.  
& virtute longè Eminentissimorum.*

DN. JOHANNIS CHRISTOPHORI  
Trudelſ/ J. U. D.

**A**GE ades. Ó agilis animula pedibus agilibus!:  
Jubar hilare celebreque mei agitur iterum Ephori.  
O agerer in ea loca properiter, ubi volucris  
bibitur equi aqua liquida, ſimul & acre citò melos!  
Vehere virum in alia loca terete pede cuperem  
nemora per inopia, satyrica, lateraque poli  
volucria, Zephyrifremaque domicilia Tethyos.  
At humilis ego quid homulus ago temere? ob animi  
bona valida cluet is & alacria ſine me, & ubi  
moritur hominibus, & oritur ubi rubea dies.  
Nec etiam oculi tegat tenebra memoriam operiet,  
licet hic homulus alibi tripudia rudia duit.  
Tamen adigit animus ea canere ſacra, quæ alii  
Cecinit, opere licet & onere parum habili, & onus  
facile repetit, aliud etiam & etiam aperiens.  
Scit etenim & opera minima quodd ita placeare!

mini-



minimo ab homine, quam alia tumida tumido ab Afino.  
O Ephore pie, cate favitor, ego tibi faviloquis  
quod melesi nequeo, prece facio tamen id humiliter:  
Bene tibi jubar hilare radiet ab apice poli;  
Fera fabra rotet alibi colubrigerula Furia,  
tuaq; domicilia refugiat, at eadem habeat  
Nivea Charis & Amor & opipara, placida Quies.  
Jubar id in alia & alia Pylia spatia vide,  
metraque agilia, rудia, tenuia recipe favens.



II.

DN. JOHANNIS MAXIMILIANI,  
zum Jungen/p.t. Consulis.

S' Alve Castalidum decus immortale sororum,  
atq. Senator splendida stella chori.  
Concelebrat mea tota domus, cum Conjuge Natus:  
Natalis, Favitor Maxume, festa tui.  
Uxor ait: Pylios sit sospes Consul in annos:  
Addo ego: morborum sentiat ille nihil.  
Uxor ait: sit ei felix lux ista: revertat,  
addo ego, candidulo centuplicata pede.  
Natus adhuc sermonis inops & pusio bimus  
cum gemitu teneras tendit ad astra manus.  
Aspicit, &, gestu latatus simplice CHRISTUS,  
Hac, ait, ad Patrem vota repente feram:  
Lactentum obscuros Deus audit ab aethere lallos,  
infantis minimi gaudet & ore coli.

F I N I S.



ДІОНОНІСІАМІКАЛІАНІ





83

COMPARATIO  
MUSCÆ  
cum  
PHOE NICE  
AFFATIM OSTENTA  
argumentis item & auctoribus  
firmata.

à

M. MICHAELE THEOPHILO  
Lehmannen / p. t. Tertiæ Classis in Gymnasio  
Mœno - Francofurtano

